Amoris Vindicta

AMORIS VINDICTA
EPITHALAMIVM.

In fœliciſsimas Nuptias

Illuſtriſſimorum, & Excellentiſſimorum DD.

D. CAROLI-EMANVELIS DE SIMIANA

Liburni Marchionis; Sanctorum Mauritij, & Lazari Magnæ Crucis Equitis;

PRO REGIA SABAVDIAE CELSITVDINE Equitum, Peditumque Chiliarchi, &c.

ET D. IOANNÆ-MARIÆ GRIMALDÆ,

Excellentiſſimi D. Monœci Principis Filiæ.

AVTORE IO. BAPTISTA BONINO BRAIDENSI,
Sacræ Theologiæ Doctore.

Ad Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. D.

PLANITIARVM MARCHIONEM, &c.



TAVRINI, MDCLIX.

Ex Officina Bartholomęi Zapatæ.

Superiorum permiſſu.

INCLYTO SEMPER HEROI

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D. D.

CAROLO-EMAN. PHILIBERTO-HIACYNT

DE SIMIANA

Planitiarum Marchioni, Equiti Torquato,

Sabaudiæ Dynaſti, &c.

A*CTA dudùm de FILIO TVO* Vind
ctâ, *ſuperbus Triumphis* Amor, *HE*
ROS INCLYTE, tuos iam venera
bundus ad pedes miteſcit. Humanita
tis tuæ Miracula hæc ſunt: Didicit nunc primùn
ab illa manſueſcere, qui lenitatis neſcius, crude
ſcere gaudet in cunctos. Ad Gloriæ tuæ Templun
trophæa ille appendit ſua; honores cum te vno par
titus proprios, qui vt Te-ipſum; ita cæteros heroic
noſti vincere magnanimitate. Maxima vt vt creue
rit de ſubacto FILIO Victoria, tuis adhùc gaude
augeſcere Incrementis. Nudus veſtibus AMOR
nudus & ornamentis accedit. Regiam tanti Heroi
nactus Benignitatem, inopiæ abundè duxit conſul
tum ſuæ. Propriæ nihil nuditati deſpérat, qui tan
tum humilis confugerit ad Patronum.

EXCELLENTIÆ TVÆ

Taurino, VI. Nouemb. MDCLIX.

Seruus obſequentiſſimus

AMORIS VINDICTA

EPITHALAMIVM.

IO. BAPTISTÆ BONINI BRAIDENSIS,
Sacræ Theologiæ Doctoris.

FORTE per Ionias dudùm ſpatiatus arenas
Paruus Amor, Gnidias Materna reuiſerat Ædes
Templa, Cytheriaco latè ſplendentia luxu.
Hinc, atque hinc oculos voluens, horrere ſuperbis
Aduertit murum ſpolijs, ſuſpenſaque circum,
Et ſummo ſuffixa tholo pendere trophæa,
Maternoque dolo, proprijſque relata triumphis.
Multa gemens, fletuque ſtatim ſuffuſus oborto,
Me miſerum! exclamat, noſtræ quàm gloria tædæ
Vanuit, & flammâ pridem vileſcit inerti!
Hæcnè Cupidineis ceſsére trophæa ſagittis?
Ipſenè, Acidalio qui tela imbuta veneno,

Fatalemque Dijs, formidatamque Tonanti
Contorquens in corda facem, iam ſæpè furentem,
Spirantemque minas, horrentemque ære Gradiuum
Et terrére armis potui, & torrére fauillis?
Ipſe nè, qui Paphijs confoſſam corda ſagittis
Lathmia furtiuam deduxi in paſcua Phœben?
Qui cæco profugæ Phœbum Peneïdos igne,
Et Ditem Cyprijs potui conſumere flammis?
Et tamen (ah pudor!) hæc Iuueni ceſſura rebelli
(Quis credat?) noſtræ iam ſunt incendia tædæ.
Quid mihi iam medijs vſſiſſe in fluctibus ipſum
Nerea, & attonito ſeruiſſe incendia Ponto?
Quid viciſſe Deos, ipſumque è ſedė ſeuerum
Sydereâ traxiſſe Iouem, Cycnumque, Bouemque
Effeciſſe, meis pretioſumque artibus Imbrem;
Si nunc, obtuſo virtutis acumine priſcæ,
Imbelles tenero cecidére in corde ſagittæ?
Nunc vbi priſcus honos? vbi noſtri gloria teli?
Ergò Cupidineæ Iaculum fatale pharétræ
Ceſſiſſe abiectum Iuueni dicetur inermi?
Non patiar; palmâque diù gaudere Rebellem
Nolo: per hanc iuro Mortalibus, horrendamque
Cælicolis, Ereboque facem; per Spicula magnis
Formidata Dijs, nec inultus abire, nec vltrà
Huic dabitur faſtu turgeſcere victor inani.
Hæc fatus, volucri ſeſe per inane repentè
Curſu librat Amor; gemituque oppreſſus anhelo,
Pergit Aphrodiſiam, Materna Palatia, Cypron.
Ver ibi perpetuò pingens geniale ſmaragdo
Prata, coloratis diſtinguit odóra Pyropis.

Mollior, obſtricto volitans Aquilone, madentes
Rore quatit Zephyrus pennas: hinc florea paſſim
Blandiſonum viſura Patrem, de ceſpite Proles
Effractâ ſurgit tunicâ, roſeiſque labellis
Lene ſalutanti blanditur grata Parenti.
Quotquot Theſſalico Tellus viridantia Flores
Eructat per prata ſolo; genialia quotquot
Germina Pæſtanis Chloris diſſeminat aruis,
Tranſtulit in Cyprios Natura benignior hortos.
Heù quid Principibus contendit iniqua Beatum
Iam Fortuna ſuis Regnum? quid dira malignos
Odryſiæ influxus Lunæ minitantur amænis
Fata plagis? Tantas regeret quàm dignior Vrbes,
Et placidum CHRISTINA ſolum! CHRISTINA, Serenum
Quæ celebres inter caput euehit Heroïnas!
Adueniet tùm fortè dies (modò proſpera votis
Aſpiret Fortuna meis) cùm bellicus olim
Senſim robuſtos adoleuerit ardor in annos,
Iuſta Subalpinum meditantem prælia Regem
Viderit Eridanus, ſæuóque frementia Marte
Agmina, barbaricas debellatura Phalanges.
Tùm Regem viſura ſuum, ſeſe vndique Muris
Effundet Cypros, populòque occurret ouanti.
In riſus effuſa nouos tùm Cypria paſſim
Prata, nouo Vernum geminabunt flore decórem.
Hîc ſuperimpoſito Tellus laſſata fatiſcit
Pondere, gemmatis Cœlos imitante Columnis.
Hæc Veneris Domus: hæc Moles Regalis anhelum
Laſſauit querulâ Steropen incúde, Sicano
Æra fatigantem repetitis ictibus antro.

 Fulget

Fulget Ophíte Solum; compage ſuperbus eburnâ,
Chryſolito Paries, crebroque Adamante coruſcat.
Irradiant ſolido circum ſuffulta Smaragdo,
Sydereos imitata Cyclos, mentita figuram,
Verſicoloratis laquearia conſita gemmis.
Emicat hinc, pauidam medijs qui in fluctibus Hellen
Aurato vexit dorſo; micat indè Puellæ
Raptor Agenoridis: reddunt alterna viciſſim
Lumina Tyndaridæ; Cancerque retrogradus vnà
Octonis gradiens pedibus; Nemeæque minatur,
Criſpatis per colla iubis, Populator arenæ.
Virgo ſubit; Lanceſque pares; Chelæque minaces;
Atque ferox arcu Chyron; Hircuſque bicornis;
Et qui geſtat Aquas; poſtremaque Sydera Piſces.
Erronum hinc rutilat ſeries, vaga ſigna, frequenti
Conſita Sapphyro, proprijſque interſita Cyclis.
Septimus, Erronum proſcriptus ab ordine, Phœbus
(Inuiſum Veneri genus; altâ namque reſedit
Mente vetus dolor, & detecti iniuria furti)
His vnus deerat; ſubijtque ea munia, tecto
Suffixus medio, magnus ſplendore Pyropus.
Quid ſimulacra Deûm, poſitaſque per alta Tabellas
Atria, Aphrodiſios formis teſtantia faſtus?
Hîc videas mugire Iouem; lugere gementem
Delion ad Laurum; muliebria penſa trahentem
Illic Alciden ſpectes: hîc mæſtus agreſti
Arcadicam Faunus deplorat arundine Nimpham:
Hîc Iuuenis propriæ deceptus imagine formæ
Ebibit ex vndis flammas; Acherontius illic
Rector Trinacrio furatur ab Orbe Puellam.

Forte

Forte Puer Matrem ſua per Myrteta vagantem
In choreis ibi vidit Amor : Riſuſque, Iocique,
Et Luxus aderant comites : effræna proteruos
Inſtituit paſſim, ſuadetque Licentia geſtus.
Non procul hinc, patulæ ſub frondibus Ilicis, almum
Ad melos harmonicas tremulis animabat auenas
Blandus Hymen digitis, cantuque ciebat Amores.
Tunc rapidas ſenſim cohibens Puer anxius alas,
Labitur in gremium Matri. Quot dulcia Nato
Oſcula; quot roſeis auido dedit ore labellis,
Amplexuſque tulit cupidis Cytheréa lacertis?
At Puer illecebras ſimùl auerſatus, & ægram
Fletibus, & crebris ſingultibus interruptam
Exſoluens vocem, Nihil ò, nihil oſcula proſunt,
Diua Parens; nihil his opus eſt amplexibus, inquit:
Pernicies Cyprio, cita ni ſuccurris, honori
Imminet, & noſtris extrema pericula tædis.
Hactenùs inuicti tibi ſumma potentia teli
Nota ſatis : Vici Superos; Telluſque, Fretumque
Noſtris incaluit flammis : Acherontia paſſim
Regna meis arſerunt ignibus (omnia noſti).
Nunc tantùm (meminiſſe pudet) mea tela rebellis
Nil metuens Iuuenis, noſtros illudit amores.
Cerne, Subalpinos quà Regius alluit agros
Eridanus; vultuque ferox, atque æmulus Aſtris
Ad Cœlum fœlix extollit cornua Tavrvs.
Terra ferax, illuſtre ſolum, celeberrima Regum
Aula; vbi præcellens titulis Avgvsta Sabavdos
Vrbs Heroas alit : Populis vbi Magna Beatis
Cum Carolo Christina Parens ſæcla aurea portat.

Hæc

Hæc igitur Iuueni Sedes; hæc Patria Nato,
Per quem noſtra diù deſudant ſpicula; tædis
Qui infenſus noſtris, Paphios irridet honores.
Hîc CAROLVS (ſic namque vocant) ſectatus auitos,
Vnde Genus SIMIANA trahit Regale Propago,
Faſtus, & Magni repetens veſtigia PATRIS,
In teneris priſcos, proprio iam grandior æuo
Annis Heroës renouat, geminâque ſuperbum
Nobilitate Genus, famâ, & Virtutibus auget.
Aſpice, Pieriam quàm ſæpè aſſumptus in Aulam,
Aonio dociles ad fila ſonantia plectro
Erudiat digitos, Phœboque aut *Bella* Magiſtro
Concinat, aut varios iuuenilia Carmina luſus.
Sin grauiora iuuet rimari arcana, ſagaci
Aſpice, vt Ingenio Sophiam ſcrutetur, & altos
Mente Polos adeat: diſcat quàm pulcra ſupernos
Conſtituant Elementa globos; queis prædita formis
Aulę Materies Superę; quibus Aſtra rotentur
Motibus; & quali cieatur ab ordine Moles.
Quî nubes eliſa tonet; cur ſæpè minaces
Tetricus horriſono vomat æther ab ore fauillas.
Fulmina quę glomerent nubes; quid ſaxea paruis
Grando ruat formata globis; rigor vndè pruinis:
Roſcida quî varios per nubila circinet arcus
Iris; & infauſto ſcintillet crine Cometes.
Ah quoties, quę norma bonum; quę regula mores
Inſtituat; vitijs quâ ſit ratione regendus
Proſtratis animus, didicit; quâque arte Voluptas,
Et quibus (heu!) ſit Amor virtutibus extirpandus.
Sæpius Aonios ſuetum peragrare receſſus

Ipſe

Ipſe ſuis animum volui abduxiſſe Camænis.
Horrentem ſalebris Pindum; prærupta ſeueris
Saxa armata rubis, altiſque imperuia cliuis
Obieci nequidquam oculis: modò cantica ſegnes,
Qualia fallaci pangit modulamine Syren,
Ante fores cecini, ſenſim irritantia ſenſus:
Nunc Magicis vſus (quid enim ſupereſſet inauſum?)
Artibus, Idalijs, Gnidijſque imbuta venenis
Pocula, Circæum ſuccis imitantia phyltrum
Sæpiùs, at fruſtrà, appoſui: nihil ille labores,
Aut obſeſſa rubis metuens iuga, cantibus aures
Obſtruxit toties noſtris; immixta veneno
Phyltra Cytheriaco Aſcræâ compeſcuit vndâ.
Quid toties iacuiſſe ſolo? quid ad oſtia ſæpè
Pernoctaſſe, mihi; gelido riguiſſe frequenter
Sub Ioue, quid iuuit; calidouè arſiſſe ſub axe?
Si qua mei Pietas igitur; communis vtrique
Si te tangit honor; Paphij ſi cura decóris,
Rumpe moras, Genitrix, certiſque occurre periclis.
Pernicies extrema tuis iam proxima tædis
Inſtat; Aphrodiſium ferit hæc iniuria Numen.
Ergò tuis ſuccurre malis: VLCISCERE mecum
Damna Cupidineę nunc intentata pharétrę.
Flecte reluctantem; nolentem coge; Rebellem
Plecte; quid in dubijs ſuſpenſa ambagibus hæres?
Niſibus vtendum totis: mora nulla ſuperſit.
Admittunt facilem, donec ſunt parua, medelam
Vulnera: ni facias, ſua protrahet vlcera morbus.
Adſis ergò Parens, donec condigna ſuperbum
Edomet, atque oneri ſubigat VINDICTA Iugali.

Hæc

Hæc Amor: at Genitrix, altâ velut anxia curâ,
Corde gemens; heù blande Puer, Tutamen honoris
Idalij, quàm ſæpè meum labor iſte profundâ
Cor agitat curâ! quoties dolor anxius, inquit,
Sollicitam torſit mentem! Connubia dudùm
Quem memoras, Iuuenis, meditor; mecum ipſa, rebellis
Quâ poſſit ratione tuis occumbere telis,
Mente diù verſo: flammâ non vnus inani
Vſus, iners telum, gelidos expertus es ignes.
Ipſa quoque Idalijs, Iuuenem flexura proteruum,
Vſa miniſterijs, illum amouiſſe Camænis,
Tentâram pridem, ſtudijſque adiungere noſtris.
Obſtitit, (heu!) toties Fatum: SIMIANIDAS ipſa
Regificas iam ſæpè Domos ingreſſa, reiectam
Arcuit ipſe, ſuis vetuitque accedere tectis.
Auſa iterùm violare fores, iterùm expulit auſam
Ianitor, & ſumpto redeuntem vecte fugauit.
Quò toties expulſa ferar? nihil extat inauſum:
Hoc iterùm tentare, pudet; quin irrita rursùm
Vis omnis tentata cadet: quis adire petulcos
Obſtructum Veneri limen iam ſperet Amores?
Quis vetitos tentet luſus; quis ſemina fœdi
Iam ſpargat moris, niueis vbi LILIA ſurgunt
Prætextis, proprioque docent candore pudorem?
Caſta Domus Venerem, moreſque exoſa profanos,
Odit Aphrodiſijs, horretque aſſueſcere ludis.
Ergò reluctantem, Paphiaſque ſubire negantem
Leges, quî poſſim ſtudijs adſciſcere noſtris?
Adde, quòd antiquas iterùm crudeſcet in iras,
Sopitoſque diù reuocabit ad arma furores

Pallas, ſi tanto per nos orbetur Alumno.
Nè tamen in dubijs videar tibi forte periclis
Officijs nunc deeſſe meis; domuiſſe ſuperbum,
Me monſtrante viam, dabitur, (modò cætera præſtes)
Nec mihi fas aliter tantum tentare laborem.
 Surgit in extremis Ligurum confinibus, alto
Vrbs præcelſa iugo: Veteres dixére MONŒCVM:
Arx ipſo ſecura ſitu; tamen aggere circum,
Et valido ridet Martem vallata recinctu.
Hîc Pontus placido miteſcit littore, fidâ
Portus vbi errantes recipit ſtatione Carinas.
Hîc celebris titulis HEROS GRIMALDVS auitis,
Diues opum, belloque potens, claruſque triumphis,
Cui Nomen largitur HONOR, cui Fama decórem,
Imperio fert iura ſuo: ſed diuite ſortis
Non tantùm cenſu, pulcrâ quàm PROLE ſuperbit.
Huic, ætate minor, ſed non virtutibus impar,
Eſt, alias inter VIRGO pulcherrima Natas.
IOANNAM dixit Genitrix; nam ſæpiùs ipſæ
Naſcentem Charites gremio fouére calenti.
Ipſa quoque exortam cupidis amplexa lacertis,
Excepique ſinu, terſique tepentibus, omnem
Fontis Acidalij lymphis, de corpore næuum;
Inſedique oculis, noſtrumque per ora lepórem
Diffudi, & tacitas circum præcordia flammas.
Hæc oculis torrere ſuis, laqueare capillis
Vna poteſt, ignes nihil, aut tua vincla Timentem.
Hanc celer ergò petas patrij per amæna MONŒCI
Compita: Virgineos vultus, atque ora colore
In paruâ, roſeaſque genas, imitare Tabellâ.

Adde oculis flammas ; tacitoque effinge loquaces
Ore ſonos ; viui ſpirent ab Imagine ſenſus.
Ad Puerum citus indè redi ; dumque ille Camænis
Deditus , Aonias exercet ſedulus artes,
Mentitam in medijs tacitus dimitte Puellam
Libris : ille ſtatim (nec me præſagia fallunt)
Totus in effigie , Tabulâque hærebit in vnâ;
Ignotaſque diù , ſpretaſque ab Imagine ſenſim
Ebibet intereà flammas : quid plura ? rebellem
Exuet ; Idalios poſthàc ardebit Amores,
Atque oneri tandem ſubiget ſua colla Iugali.
Dixerat , ille celer monitis inſtructus , & arte
Matris , lætus abit ; rapidus per inane MONŒCVM
Pergit , vbi in patrijs formoſa Penatibus , Vrbem
Virgo beat ; celſique ſubit penetralia Tecti.
Ad ſpeculum tùm fortè ſuos in imagine Virgo
Conſulêrat vultus ; libertatemque vagantis
Frænabant calamiſtra comæ : tunc Aliger ora
Miratus , niueaſque genas ; quàm multa relatis
Nunc , inquit , video maiora ! ſonumque repreſſit.
Neſcio quæ extemplò Stellarum fulgida promit
E gremio fragmenta ſuo : formare capillos
His intendit Amor : minio ſuperaddit Eoo,
Et commiſcet ebur ; malas color iſte decebit.
Luciſluos Solis radios furatus , ocellis
Deſtinat : & niueis attrita liguſtra papillis.
Nec mora : diſcinctam geminas ſecat illicò vittam
In partes ; læuâque habilem ſibi vellit ab alâ,
Multa gemens , pennam ; formoſa coloribus ora
In vittâ format mediâ ; crineſque coruſco
Men-

Mentitos auro cumulat; frontiſque decórem
Iuſtis diſtentum ſpatijs niue pingit eburnâ.
Blanda ſuperfuſo, viuas imitantia voces,
In ſpeciem riſus, diſtinguit labra Pyropo.
Igniculos tandem, maioris ſemina flammæ,
Luminibus ſubdit, totâque in Imagine blandos,
Ter flatu Tabulæ inſpirans, inſtillat amores.
Iamque exégit opus: rapidis ſe protinùs alis
Abripit hinc; Tavrvm repetit, Iuuenemque reuiſit.
Vt notum tetigit limen, ſuetaſque colentem
Aduertit Puerum Muſas; laquearia pennis
Ter leuibus furtim luſtrat; celer inde Tabellam
Per medios linquit libros, tacituſque recedit.
At Puer ignotos vt vidit Imagine vultus,
Oraque nec cuius, nec quæ benè nouit, & vndè,
Conſtitit, attonituſque cubicula circumſpexit.
Vt nullos adſtare videt, Tabulæque venuſtam
Proſpicit effigiem; formam miratus, & ora
Virginis, effigie pendet defixus in vnâ.
Eximiæ nunc frontis ebur; quæque Aſtra benignis,
Obſtupet, in gemino rutilant influxibus orbe:
Nunc mixtas oſtroque niues, minioque liguſtra
In roſeis ſpectare genis, nunc ſparſa decóro
Colla iuuat candore ſimùl, pectuſque tuëri.
Intereà veras Puer è mendace fauillas
Ebibit incautus formâ; ſenſimque per altas
Furtiuo graſſatur Amor feruore medullas.
Iam nouus ardet Amans; Cyprium iam corda venenum
Obſidet; ignoto iam viſcera lancinat igne.
Iam damnata priùs probat ipſe incendia; rursùm

 Dam-

Damnat amata ; probat rurſùm ; rurſùmque refellit.
Heù quis veſanos ructans è faucibus ignes
Viſceribus furit Æthna meis ! quis torridus , inquit,
Bacchatur per membra furor! Circæa malignos
Pocula an in noſtris ſuccos vomuére medullis?
Hæcnè feros dat Imago rogos ? crudelis Imago!
Sed quid Imago poteſt? ah dulcis Imago! furores
Non hos ipſa paris ; paris imò , nouoque peruſtum
Cor ardore cremas : aſt ò gratiſſima cordis
Flamma! rogus fęlix; dulcis furor; ardor amicus!
Dulcis Imago ! meæ pretioſa alimenta fauillæ!
Commentum verax ; diuini Symbolon Aſtri;
Hæc cuius ſunt ora Deæ ? quam Lina Puellam,
Fare precor , ſignant ? retices ? crudelis Imago!
Si retices igitur , tacitè quid muta loquaces
Edunt ora ſonos ; voceſque diſerta ſilentes?
Ergò loquendo , taces ; reticendo, Oracula promis.
Fęlices oculi ; melioris Sydera Cœli !
Stellatæ Charitum ſedes ! quî cordibus imis
Veras mentito flammas accēditis igne?
Quî fera ridentes iactatis ſpicula ? riſus
Ah ſæui nimium riſus ! fera ſpicula ! dulces
Sed ſimùl in cupido infligentia pectore plagas!
Si plagæ dulces, quas vos infligitis, Vmbræ,
Dulcia quàm verax infliget vulnera Solis
Fulgor ! quàm gratas tulerit præſentia flammas!
Forma igitur tantæ verax adeunda Puellæ.
Sed cuius ſunt iſta Deæ ? regalia qualem
Ora notant Nympham ? nunquid GRIMALDIAS illa
(Talem Fama refert, qualem hæc deſignat Imago)

Quæ

Quæ beat vna ſuum, GRIMALDIAS illa, MONŒCVM
Picta quidem (fallit niſi Fama, vel errat Imago)
Ipſam forma refert; ipſam color exprimit ; ipſam
Ora venuſta notant; quid adhùc mens ambigit ? ipſa eſt
Ipſa eſt, quæ Nymphas, vel quas ſibi fabula finxit,
Vel quas fama canit, formâ, & Virtutibus æquat.
Hac fęlix ò Prole Pater ! fęlicior ille,
Quem talis dignum Virgo ſibi légit Amantem!
Cui roſeos vultus ; niueæ cui ſydera frontis,
Purpureaſque datur malas ; cui vera tuëri
Ora, vel alternas audire, & reddere voces.
Fęlix, ah fęlix iterùm, cui Nupta Marito
Contigerit ; ſimili demùm qui Prole Parentem
Reddet, Auoſque nouo renouabit Pignore priſcos!
Dixit ; & obtutu ſiluit defixus in vno.
Finitimum tùm forte Pater (pius ille DYNASTES,
In quo par generi Virtus effulget ; auitis
Et decus, atque ingens Heroïbus Incrementum)
Tranſierat limen : Natique è voce frequenter
GRIMALDVM audierat Nomen : tùm protinùs vſtas
Furtiuo Pueri perſenſit ab igne medullas.
Geſtijt, aduentaſſe diem, quâ ſponte Iugali
Vellet amans nodo ſe ſtringere Filius ; vndè
Clarum ſtirpe Genus latè ſoboleſcat ; auitæ
Vndè iterùm veteres ſurgant Virtutis honores:
Limen adit tacitus, Iuuenem viſurus : at ille
(Stridens admonuit cardo) valuaſque patentes
Vt vidit, Patremque, celer ſurrexit : opertam
Abdidit in libris Tabulam ; rubuitque pudore.
Qualis adhùc crepero, propulſis roſcidus Aſtris,

Æther

Æther Sole rubet, fuſiſque Aurora tenebris:
Tùm Genitor, quid Nate times? nihil ambige; dudùm
Conſilijs, quodcunque petis præuénimus ipſi
Noſtris: nil timeas; confécimus omnia; Virgo
Quam petis, hæc dabitur; tecum comes vna cubilis
Ipſa tui, ſeros hilaris gaudebit in annos.
Annuit hoc Heros, fido qui iura MONŒCO
Impertit, firmumque dedit pro pignore verbum:
Ergò ſi qua tuæ (tua namque eſt) cura videndæ
Coniugis ardentem ſtimulat; celer inclyta Magni
Mœnia GRIMALDI, clarumque inuiſe MONŒCVM.
Hæc ille: At Iuuenis dudùm cui pectora tectis
Vſta calent flammis; ſtimulis quem magnus eundi
Ardor agit; chari peragit gratiſſima præceps
Iuſſa Patris. Iam lætus abit, rapiduſque volantis
Terga fatigat Equi, fodit & calcaribus armos.
Longa Equitum, Peditumque Phalanx, Procerumq; cohortes
Accurrunt paſſim, lætæque ſequuntur Euntem.
Iamque Subalpinos, iam ſaxa Liguſtica, fines
Velox tranſierat Iuuenis; iam læta MONŒCI
Turba propinquabat tectis: tùm protinùs Vrbis
Occurrunt Equites venientibus, inque ſuperbos
Excipiunt Turbam, regalia tecta Penates.
Vt primùm Proceres, & pulchra agnouit Amantis
Ora ſui Virgo, penitas accenſa medullas
Arſit, & in ſubitas abijt conſumpta fauillas:
Aligerûm ſiquidem denſum conuénerat agmen
Cypria turba, ſuos paſſimque effuderat ignes.
Mox vbi blandiloquis primùm data copia fandi
Colloquijs, placido longùm ſermone fruuntur;
Lumina

Lumina luminibus iungunt; atque oribus ora:
Ergò pares gemino vt nôrunt in corde fauillas
Aligeri, rapuére faces, iunxére catenas.
Blandus Hymen (tùm fortè aderat, digitiſque canorum
Sollicitabat ebur) ſtrictis adamantina nodis
Cépit vincla celer, geminoſque ligauit Amantes.
Quos riſus, quos ora iocos fudére! choræis
Quot mixtos luſus! quot tùm repetita Falerni
Dulcia libârunt blandis carcheſia Sponſis!
Iamque per Heſperias pridem ſpatiatus arenas,
Emeritos laxârat Equos ad paſcua Phœbus.
Vnanimes adeunt thalamum; fulgentia donec
Aſtra, ſerenato Titan profliget Olympo.
Vix roſeis inuecta rotis Aurora tenébras
Egerat, Eois lucemque reuexerat oris,
Quâ Patris amplexus, dulcis quâ tecta MONŒCI
Linquere, & AVGVSTOS inuiſere Nympha Penates
Debuerat: ſurgunt ſtratis, thalamumque relinquunt.
Alipedes aptantur Equi; Procerumque cohortes
Proſiliunt agiles: ſed adhùc remorantur euntes
Oſcula, dùm blandis, lachrymans, complexibus hæret
Nata Patri, & querulo reſonant ea littora fletu.
Oſcula poſt centum teneris admixta querelis,
Mœnibus excedunt Patrijs: lachrymantur euntes
Admixtæque viris Matres, & plurima paſſim
Turba Puellarum, quæ è Turribus aſpicit altis.
Intereà properabat Eques, Ligurumque relictâ
Sede, Subalpinis iam penè acceſſerat oris.
Occurrit Dryadum chorus; occurrére Napéæ
Paſſim Coniugibus, fęlixque iter ire precatæ,

Flore vias vario , & niueis ſtrauére liguſtris :
Iamque propinquârant tectis ; iam Mœnia Sponſos ;
Et ſocios vnâ Proceres TAVRINA tenebant :
Protinus occurrunt Equites : lucet via longo
Ordine flammarum ; cupidus fluit vndique Ciuis .
Intereâ choreas inter , centumque canoros
Paſſim concentus , SIMIANI Tecta DYNASTIS ,
Tecta opibus latè , luxuque decóra ſuperbo
Nympha ſubit : blandis iterùm modulatibus auras
Mulcet Hymen ; feſto renouantur gaudia plauſu .
Quin & Hamadryades ſyluarum Numina , quaſque
Aut Pater Eridanus lymphis , aut Duria nutrit ,
Accurrére citæ obſequijs ; Sponſæque decóram
Miratæ ſpeciem , vario ſparſére caniſtris
Flore ſolum , & roſeis SPONSOS cinxére Coronis.
Et iam noctiuagis , medium , deuecta quadrigis ,
Luna tenebat iter : ſua rupit fila , Lyramque
Impatiens proiecit Hymen ; tędiſque repentè
Ad thalamum , raptis , cupidos deduxit Amantes .
Extemplò ceſſére Chori ; defeſſa quiêrunt
Fila Lyræ ; ſiluére ſoni : Sileamus & ipſi .

F I N I S.

XTY
44-B17745
THE GETTY CENTER
LIBRARY